





1789, 17
DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA

SVPER

IVRE PRIMARIARVM PRECVM
EIVSQUE EXERCITIO

SPECIMEN PRIMVM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE

A. D. XIV. FEBR. A. C. CIOIOCCCLXXXIX.

D E F E N D E T

IOHANNES GODOFREDVS MVELLER

ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER ET IVRIS
VTRIVSQUE BACCALAVREVS

CVM SOCIO

CAROLO CHRISTOPHORO AVGAPFEL

ZITTAVIA - LVSATO.

LIPSIÆ

EX OFFICINA KLAVBARTHIA,

10045.90

UNIVERSITÄT WÜRZBURG
FÜR
Ihre Primariale
FIVEVE EXERCITIO
LÖBEN FÜR

EXCELLENTE
KONFERENZ
UND FÜR DIE A. G. UNIVERSITÄT
D. P. F. N. D. T.
JOHANNES GÖTTFRIDUS MÜLLER
LEHRER DER MATHEMATIK
IN WÜRZBURG
CUM TITULO
GREGORIO CHRISOPHORO VAGABER
SIBAVIA - EXERCITIO

IMPRESSE
IN DRUCKERIE



Cum ius illud, quod precum primiarum nomine venit, siue eos intuearis, qui id ipsum sibi assertum tanquam nouum charumque dignitatum suarum decus fortiter propugnauerunt, Augustissimas nempe atque Illustrissimas personas, siue ad ambitum, quo per Germaniae ecclesias exercetur, et antiquos ipsius respicias natales, siue denique grauia decursu temporum libero eius exercitio saepius obstrueta impedimenta inclitasque inde inter Imperatores Germanorum et Pontifices Romanos passim agitatae controuersias contempleris, tanti esset momenti, ut sedulis virorum adeo doctissimorum atque clarissimorum lucubrationibus tractari mereretur atque exponi; haud sane miraberis copiam scriptorum, quibus per nouissimos potissimum centum annos ius illud plures commentati sunt, quorumque indicem largum apud LIPENIVM *a)* habes conscriptum. Praeterquam enim,

a) Bibliotheca LIPENIO-IENICHENIANA sub voce: Praeces Primariae.

A

enim, quod omnes, qui Iuris publici Germanici atque Iuris ecclesiastici per Imperium obtinentis doctrinas de industria scribendas sibi elegerant, huius quoque iuris primiarum precum doctrinam vel leuiter attingerunt, vel sermone prolixiore descripserunt, e quorum quidem numero, cum singulos recensere ab instituto alienum duxerim, saltem celeberrimos illos duumuiros MOSERVM *b)* atque BOEHMERVM *c)* nominasse sufficiet; multi quoque extiterunt, qui peculiare commentationes, inprimis academias, huic iuri seorsim adumbrando dicarent. Atque horum alii, FRITSCHIVS *d)*, ACHOCKIER *e)*, DE STOECKEN *f)*, SCHILTERVS *g)*, OLIGENIVS *h)*, CORTREIVS *i)*, GRIBNERVS *k)*, PRISDECE-
NVS

b) IOH. IAC. MOSERVS in *Teutsch. Staatsrecht.* Part. III. Lib. II. cap. 31. nec non in *Tractat. von der Landesobehheit im Geisslichen.* Lib. II. cap. 5. §. 8. et alibi.

c) IVST. HENNING. BOEHMERVS in *Iur. Eccles. Proz.* Lib. III. Tit. V. §. XCIX seq. Tom. II. pag. 327. seq.

d) AHA SV. FRITSHIVS in *Exercitat. de Imperiali primiarum precum iure.* Rudolst. 1660. 4.

e) IO. A CHOCKIER in *Scholiiis in primarias preces Imperatoris,* Colou. 1674. 4.

f) GERARD. DE STOERKEN in *Comment. de precibus primariis Imperatoris.* Argent. 1673. 4.

g) IOH. SCHILTERVS de *Imperiali et Regali primiarum precum iure.* Argent. 1702.

h) CONRAD. OLIGENIVS de *primariis precibus Imperialibus.* Friburg. 1706. Latere autem sub hoc nomine PETRVM MARCELLINVM CORRADINVM eo tempore Subdatarium et postea S. R. E. Cardinalem, ipse Papa Benedictus XIV testatur in *Litris Instructiuis ad Archiepiscop. Laodicens. Nuntium Apostolicum Coloniae* n. 16. quas a L. B. DE SENKENBERG in *Tract. de iure primar. precum Regum German. etc.* Codici Probationum sub LXXVIII. adiunctas vides.

i) ABR. CORTREIVS in *repraesentatione iuris primiarum precum Imperatoribus sine praecio Pontificum assensu competentis.* Magdeb. 1706. 4.

k) MICH. HENR. GRIBNERVS in *Diss. de primariis precibus Imperialibus sine Pontificis indultu validis.* Lips. 1707.

NVS l), BANNIZA m), FREHERVS n) denique et AYRERVS o), id egerunt, vt, quatenus ius precum primiarum Imperatoribus proprium esset, ac vel Praefulis Ecclesiae Romanae auctoritate vel absque eius indulto et subsistere et exerceri posset, disputarent. Alii deinde, DEINLINVS p), IENICHENIVS q), GRIBNERVS r) antea iam nominatus, NETTELBLADTIVS s) nec non SCHOTTIVS t), an et quatenus hoc idem ius non modo Imperatricibus Au-

A 2

gustis,

l) CAR. PRISDECENVS, sive, qui hoc nomen simulauit, NIC. CHRIST. LYNKERVS in *Vindictis primiarum precum Caesareae Maiestati suo uno et proprio iure vi ac virtute suae electionis per Imperium Romanum competentium, vt ipsam ad constitutionem vel exercitium earum vlllo Pontificis maximi indultu nec indigere nec oblatum eum saluo et illaeso iure suo et Imperii acceptare posse aut debere videri queat.* 1712 et 1723. 8.

m) PETRVS BANNIZA in *Diss. de iure Caesareo primiarum precum ex Germaniae historiae monumentis, legibus Imperii pragmaticis, actis publicis nec non statutis ac consuetudinibus ecclesiarum et capitulorum Germaniae deductis: vna cum centuria positumum ex omnigeno iure.* Wirceb. 1749. 4.

n) FREHERVS in *Diss. de prim. prec. Imp.* cuius tamen notitiam solo testimonio AYRERI in *Comment. de iure primar. prec.* cap. I. §. XXII. et in *Diss. de iure primar. prec. Caesareo etc.* §. VII. p. 18. ita allegantis niti libenter confiteor.

o) GEO. HENR. AYRERVS in *Diss. de iure primiarum precum*

Caesareo in foundationibus Imperii mediatis. Goetting. 1752. 4. cui idem AYRERVS adiecit Programma, quo *Originem iuris primiarum precum nouis quibusdam obseruationibus ex nexu bonorum ecclesiasticorum feudali collustrat.*

p) GERH. FRID. DEINLINVS in *Exercitat. de iure primiarum precum Imperatrici Augustae competente.* Altorf. 1743. 4.

q) GOTTL. AVG. IENICHENIVS in *der diplomatischen und rechtlichen Abhandlung von dem Rechte der ersten Bitte einer römischen Kayserinn.* Gießl. 1757. 4.

r) MICH. HENR. GRIBNERVS in *Diss. de precibus primariis Vicariorum Imperii.* Wittemb. 1708. 4. quae accessionibus aucta denuo prodiit ibidem. 1717. 4. Scripsit praeterea idem auctor *Progr. de precibus primariis Principum Imperii.* Viteb. 1711. 4.

s) DAN. NETTELBLADTIVS *von einigen das Recht der ersten Bitte betreffenden Fragen; in den Hallischen Anzeigen.* 1758. n. 33. 34.

t) AVG. FRID. SCHOTTIVS in *Diss. de iure primiarum precum uxori-*

gustis, sed Vicariis quoque Imperii eorumque vxoribus' tribuendum esset, demonstrarunt. Alii denique, SCHROETERVVS u), MVELDENERVS x), MAYERVS y), SCHMIDTIVS z), atque antea iam commemoratus AYRERVS a), nec non WINCKLERVS b) de iure precum primariarum simpliciter, at ita tamen differuerunt, vt de eo omnium meritissimus AYRERVS reliquos viros doctos tum materiarum abundantia, tum amplo documentorum apparatu longe superaret. Quos quidem multiplices atque continuatos eruditorum labores, quibus insuper et libellum REINHARTHI c) adiungere licebit, dum propius inspicio, quemlibet alium, qui idem argumentum post eos pertractare voluerit, actum frustra denuo acturum esse sentio. Enimvero mihi saepius sortes iuris istius ac vicissitudines apud animum perpendenti haud frustra laboraturus esse videbatur is, qui, tanta praesertim diplomatum aliorumque documentorum copia in medium prolata, non solum, quoties huc vsque ius primariarum precum partim ab Imperatoribus atque Imperatricibus Augustis, partim a Vicariis ac Principibus

vxoribus Ordinum Imperii competente. Lips. 1778. 4.

u) ERNST, FRID. SCHROETERVVS in *Disp. de iure primariarum precum.* Ien. 1669.

x) IOH. CHRISTIAN. MVELDENERVS in *Positionibus Inaugural. in quibus iuris naturae definitio et fundamentum, abdicatio regni, ius primariarum precum et alienatio geradae explicantur.* Halae Magdeb. 1698. 4.

y) IOH. EHRENF. MAYERVS in *Disp. de iure primariarum precum.* Quedlinb. 1704. 4.

z) DIDER. SCHMIDTIVS in *Diff. de iure primariar. precum secundum Pac. Westphalic. Artic. V. §. 18. et 26. Trai. ad Rhen. 1736. 4.*

a) GEORG. HENR. AYRERVS in *Comment. Ius primariarum precum quam late patet ex genuinis fontibus deductum.* Goetting 1740.

b) CAR. FRID. WINCKLERVS in *Commentat. de iure primariarum precum ad victorem terrarum Imperatoris non transcunte.* Lips. 1745. 4.

c) TOB. IAC. REINHARTIVS in *Diff. de potestate precisae preces Imperatoris per cessionem in alium transferendi.* 1730.

pibus Imperii eorumque vxoribus exercitum, quaeque de eo per varia secula ad nostram vsque aetatem transacta essent, fide diplomatica delineare ac continuata serie componere, verum etiam, si quae principia doctrinae in ipsis diplomatibus laterent, ea, oblata occasione, paucis subiungere aggredereetur. Etenim quamquam inter omnes constat, WVERDTWEINIVM d) eo, quod diplomata precum primariarum inprimis Caesarearum summa cum industria collecta ordineque chronologico distributa exhibuit, pariter atque L. B. DE SENKENBERG e), nec non, quantum ex inscriptione Tractatus conicere licet, BRANDIVM f) permulta, quibus desiderio illi satisfieri posset, praestitisse; nihilominus tamen, neuiquam eos integram intendisse iuris huius historiam, apparet. Dum itaque denuo ea, qua par est, modestia haec enarrare suscipio, si vel maxime laudes virorum doctorum expectare non licuerit, indulgentiam saltem instituti ab ipsis me impetratum esse, spem animo concipio.

A 3

PARS

d) STEPH. ALEXAND. WVERDTWEINIVS in *Suifidiis Diplomaticis ad selecta iuris ecclesiastici Germaniae et historiarum capita elucidanda*. T. II.

e) HENR. CHRIST. L. B. DE SENKENBERG in *Tractat. de iure primarum precum Regum Germaniae Imperatorumque indulto papali haud*

indigente. Francofurt. ad Moenum. 1784.

f) IOH. ANDREAS BRANDIVS Universitatis Wirceburg. Bibliothecarius in *Tractat. Hist. publ. Can. de iure Caes. prim. prec.* quem ipse non vidi, sed ex AYRERI *Diss. de iure primar. precum Caesareo etc.* §. II. huc transcribo.

 PARS I.

 HISTORIA IVRIS PRIMARIARVM PRECVM
 AB IMPERATORIBVS EXERCITI.

C A P. I.

De iuris primariarum precum origine.

§. I.

An unicum iuris primariarum precum fundamentum fuerit 1) fundatio et dotatio, 2) coronatio, 3) dignitas Imperatorum canonicalis?

Quemadmodum, ius primariarum precum Imperiale, quod est facultas Imperatorum ordinariis collatoribus, ut beneficium certae personae conferant, semel, dum regunt, iniungendi, ab iisdem iam antiquitus exercitum esse, omnes ac singuli scriptores vnanimi consensu affirmant, ita, quando de ipsa eius origine sermo est, in sententias a se invicem longe diversas discedunt. Cum enim prima precum primariarum vestigia in diplomate Imperatoris Rudolphi Habsburgici de anno MCCLXXIII. a) deprehenderent, atque simul in eodem Imperatorem ad antiquam consuetudinem provocare cognoscerent ita incipientem: *Cum ex antiqua et approbata ac a Divis Imperatoribus et Regibus ad nos producta consuetudine quaelibet ecclesia in nostro Romano Imperio constituta, ad quam beneficiorum ecclesiasticorum pertinet collatio,*


a) Apud WVERDTWEINIUM in *Subsid. Diplom. Tom. II. n. I.*

*collatio, super unius collatione beneficii precum nostrarum primarias admittere teneatur; communi quidem studio ulterius recedere ac non solum tempora natalium precum illarum genuina investigare, sed occasionem etiam, sive fundamentum enatae consuetudinis inveteratae definire annixi, idemque aequae ac illa, posteaquam monumentorum historicorum auxilio se desolatos repererant, coniecturis saltem suis singuli fere ex antiquitate eruere conati sunt. Quas equidem dum breviter recensere suscipio, hoc potissimum tramite incedam, ut earum primum sententiarum numerum persequar, quae ipsum iuris consuetudinarii fundamentum concernunt, quaeque tempora natalium attingunt, paucis deinceps adiungam. Quoniam autem ambitum precum primariarum adeo late patere constat, ut Imperatores ad omnes per Germaniam collatores beneficiorum ordinarios, si modo ab iis discesseris, quos vel pactum vel consuetudo vel ius aliunde quaesitum necessitate admittendi exempti *b)*, preces suas dirigere possint; coniecturae, quibus fundamentum iuri tam late patenti idoneum stabilitur, vero haud dubie propius accedant necesse est, quam quae nos docent occasionem, qua Imperatores intuitu quorundam duntaxat collatorum tale ius consuetudinarium acquisivisse, vero simile videatur. Spurious itaque sequuntur fontes, qui sola *fundatione et dotatione* ecclesiarum et monasteriorum ius precum primariarum fundari autumant. Praeterquam enim, quod historicae mediae aevi monumenta, multas ecclesias, monasteria et praebendas ab Episcopis atque nobilibus laicis fundatas ac dotatas esse, referunt, AYRERVS *c)* quoque Episcopatus commemoravit Lubecensem, Suerinensem et Ratzeburgensem, quos in diplomate de anno MCLXX. *d)* ipse Henricus Leo, Dux Saxoniae, a se in Slavia Transalbina*

b) Vid. BOEHMERVS in *Iur. Eccles. Prot.* Lib. III. Tit. V. §. CXIII. Tom. II. p. 359. et MOSERVS in *Teutsch. Staatsrecht.* L. II. c. XXXI. §. 118. Part. III. p. 403.

c) In *Commentat. Ius primar. prec.* cap. I. §. XIX.

d) Apud BOEHMERVM in *Iur. Eccles. Prot.* Lib. I. Tit. XXXI. §. XXXV. Tom. I. p. 735.



albina institutos et dotatos esse, testatur. Iam vero Imperatores ius preces suas primarias ad omnes beneficiorum ecclesiasticorum collatores dirigendi sibi asseruisse, ac ne tres quidem Episcopatus illos eximi passos esse, a nemine sane, qui praeter alias multas formulam precum Iosephi II. Caesaris *e*) inspicere voluerit, in dubium vocari poterit; cuius tamen rei ratio nulla huic inest opinioni. Neque minus errarunt BESOLDVS atque SCHILTERVS ab AYRERO *f*) et BOEHMERO *g*) excitati, qui ius precum Imperialium ex coronatione derivari voluerunt. Quamquam enim Carolus IV. eiusque filius Wenceslaus in diplomatibus precum suarum *b*), ac ille quidem ex coronationis suae solennis ad Romanorum regnum vniam personam virtute primariarum precum ad beneficium ecclesiasticum facere se posse dicit promoveri, hic autem Ruperto Comiti Palatino preces primarias per Dioeceses Spirensem et Wormatiensem distribuendi facultatem ratione coronationis in Romanum Regem sollemniter susceptae concedit; nihilominus tamen, istam opinionem hocce demum tempore inualuisse, non solum recte iam admonuit BOEHMERVS *i*), sed vel inde etiam facile apparet, quod nemo antecessorum coronationis in formulis precum fecerit mentionem. Quod si vero de prima ac vnica causa, cui iuris primariarum precum debeatur origo, eruenda quaestio est, haudquaquam opinionem eorum, qui seculis aliquot post vixerunt, attendi posse, sed id potius, quod natalibus huius iuris propiores degentes de eisdem fundamento professi sunt, spectari debere, nemo non videt. Enimvero quis est, qui credat, robur iuris precum suarum firmissimum

e) Apud SENKENBERGIVM Tract. de Iur. prim. prec. Codic. Probat. Adj. LXXX.

f) In Diff. de Iur. prim. prec. Caesar. §. V.

g) In Iur. Eccl. Lib. III. Tit. V. §. CVI. Tom. II. p. 347.

b) Apud WVERDTWEINIVM Subsid. Diplom. Tom. II. n. VI. et IX.

i) L. c. Lib. III. Tit. V. §. CVII. Tom. II. p. 347.

num adeo parvi duxisse Rudolphum Habsburgicum, vt, si modo de coronatione tanquam vnico fundamento, id quod facilius potuit edoceri, sibi persuaferit, illam omitteret et ad solam consuetudinem prouocaret? Parum igitur lucis, qua tenebrae originis iuris precum primariarum attenuarentur, accenderunt coniecturae istius auctores. Verum multo adhuc longius, non dico a veritate, sed a similitudine aberrarunt, quos FRITSCHIVS *k*) nominat, MATENESIUS nempe, SPRENGERVS atque SPEIDELIVS, Imperatores antiquos eo, quod semper fuerint *primi ac supremi ecclesiarum cathedra- lium Canonici*, primarias preces sibi vindicasse, rati. Etenim enarrant quidem MOSERVS *l*) et BOEHMERVS *m*), quod Imperatores olim a tempore inde Henrici Sancti in ecclesiis Argentinen- si, Leodicensi, Traiectina, Bambergensi, Coloniensi atque post coronationem etiam in Aquisgranensi honoris duntaxat gratia inter canonicos recipi consueverint, suasque praebendas, quippe quibus ipsi frui haud potue- rint, aliis tanquam vicariis passim contulerint. At vero dignitas ista Imperatorum canonicalis quomodo reliqua plura Capitula ad id per- mouere valuerit, vt preces illorum pro praebenda huic vel illi confe- renda ad se directas admitterent, qui intelligat, vix erit.

§. II.


An 4) ius circa sacra maiestaticum?

Maioris fortasse momenti esse videtur sententia eorum, qui fon- tem iuris precum primariarum esse ius maiestaticum supremum, et, quod huic annexum sit, ius circa sacra, asseuerarunt. Sunt autem, praeter

k) In Exercit. de Imperiali prim. prec. iure. cap. II. n. 7.

l) In Teusch. Staatsrecht. Lib. II. cap. XXXII. Part. III. p. 413 seq.

m) In Iur. Eccl. Lib. III. Tit. I. § LXXXVIII, seq. Tom. II. p. 130 seq.



praeter *MVELDENERVUM a)* et alios plures a *FRICTSCHIO b)* excitatos, eam secuti *GRIENERVS*, *DEINLINVS* et *L. B. DE SENKENBERG*, quorum rationes, cum singuli sibi propriis vsi sint, seorsim proponam, eisque, quid mihi quidem videatur, singulis adiciam. Ac primum quidem *GRIENERVS c)*, ex iure isto Imperatores sibi olim primas preces vindicasse, inde confirmari opinatur, quod *Wenceslaus*, hanc precum potestatem iure coronae per solennem inaugurationem acceptae sibi competere, in diplomate supra commemorato sit professus. Quae ratio cum opinione recentiore nitatur, quam plane non attendi posse iam antea indicaui, ei refutandae hic non immoror, sed ad ea, quae a *DEINLINO d)* in medium prolata sunt, progredior. Latius autem hic sententiam suam probaturus ad ipsa historiarum monumenta regreditur, asserens, probe ea testari, quam plenissime olim Imperatores non solum in constituendis investiendisque Episcopis, sed in conferendis etiam Praelaturis atque praebendis iura circa sacra exercuerint adeo, vt, amissa per annulum et baculum inuestitura omniumque praebendarum collatione ex indulgentia Imperatorum ad Episcopos et Capitula transeunte, ius primariorum precum cum paucis aliis iuribus ecclesiasticis ex inueterata consuetudine retentis et per obseruantiam ad normam certam exercitii perpetui reductis tanquam inter seruatas ex naufragio tabulas tuto meritoque referri posse, haud dubiter. Enimvero haec quamquam ex historia temporum, in quae cadit origo precum primariorum, repetita sint, nullo tamen negotio a me imperare possum, vt hanc iis inesse credam virtutem, qua sententiae *DEINLINI* veritatis quidquam concilietur; imo duo obstant, quae paullo prolixius exposuisse, haud fuerit fortasse a re alienum. Primum namque

a) In *Positionum Inaugural. Posti.*
IV. §. VIII.

b) In *Exerc. de Imper. primar. prec.*
iure. cap. II. n. 10.

c) In *Diss. de primar. precib. Imperial.* §. IX.

d) In *Exercit. de iure prim. prec. Imperatr. Aug. compet.* §. IV. et VII.

que si ad ipsum ius circa sacra maiestaticum, nulla formulæ reipublicæ, in qua existit Ecclesia, habita ratione, respiciamus, diu iam CRAMERVS e) et, qui vestigia eius legit, BOEHMERVS f) satis liquide euerunt, notionem eius non eo vsque merito extendi posse, vt, præter iura externarum religionis exercitium reformandi inspiciendique, ne salus et tranquillitas publica ex ecclesia et exercitio ecclesiasticæ potestatis detrimenti quid capiat, nec non tuendi ac defendendi ecclesiam et iura ipsius, simul prouisio beneficiorum ecclesiasticorum eadem comprehendatur. Est scilicet ecclesia societas, cui pariter atque cuilibet alii societati tribuenda est libertas, omnia ea definiendi ac procurandi, quæ ad ipsam societatis finem obtinendum eiusque salutem promouendam conferunt. Ex quo sequitur, propria esse ecclesiæ iura, quæ ex natura societatis ecclesiasticæ proficiscuntur, ideoque eam, quæ singula illa complectitur, potestatem ecclesiasticam nemini nisi eidem recte vindicari. Huius autem procul dubio partem insignem facit beneficiorum ecclesiasticorum prouisio, quippe quæ concernit curam et bonorum et officiorum ecclesiasticorum, sine quibus nec finis obtineri nec salus ecclesiæ potest conferuari. Cum igitur prouisio beneficiorum ecclesiæ ad iura, quæ dicuntur, collegialia, nequitquam vero ad ea referri debeat, quæ ius circa sacra maiestaticum constituunt, contra autem ius primariarum precum nihil aliud sit quam species prouisionis; profecto non siue idonea et iusta ratione iudicauerit, qui, dum solam iuris circa sacra indolem atque naturam contemplantur, hoc idem fontem iuris primariarum precum vnicum esse ac genuinum, omnino neget. Verum, id quod alterum est, exuerunt fortasse olim Germaniæ Imperatores ius prouidendi de bene-

B 2

ficiis

e) IOH. VLTRICVS CRAMERVS in Diss. de iure circa sacra collegiali et maiestatico. Marb. Cattor. 1736.

f) GEORG. LYDOV. BOEHMERVS in Princip. Iur. Canonici, in Præfat. et p. 5. ac 10 seq. edit. quint.

ficiis ecclesiasticis tanquam integram et propriam iuris circa sacra maiestatici partem, vel quia illud ab ipsa ecclesia delatum exceperant, vel quia sibi id vindicauerant, utpote iura, quae circa ecclesiam imperio civili competere, ab iis, quae ecclesiae propria essent, non tam accurate et anxie discernentes. Ac probe quidem scio, Imperatores Germaniae usque ad tempora Henrici V. Episcopos et Abbates libere et pro arbitrio suo constituisse. Veruntamen cum innumeri paene scriptores, qui res gestas mediæ aevi vel ipsi primum tanquam coetanei descriperunt, vel ab aliis iam enarratas historias denuo compilarunt, singulis fere paginis Episcoporum et Abbatum ab Imperatoribus constitutorum mentionem facientes provisionem minorum beneficiorum communi silentio praeterierint; in his non eandem ac in maioribus beneficiis potestatem Imperatoribus fuisse, suspicari saltem licebit. Obuia quidem passim sunt vestigia, unde istiusmodi potestatem circa minora beneficia erui posse credas; verum ea omnia ita sunt comparata, ut, qui sequi ea velit, periculum a vero aberrandi incurrat. Videntur scilicet Reges Carolingicae stirpis summa auctoritate de monasteriis saltem et monachibus disposuisse, quandoquidem, ut BOEHMERVS g) observavit, neminem nisi Rege permittente in numerum monachorum recipi licuit. Sed qui ipsum Capitulare, quo illud praecipitur, cuiusque hic tenor est: *Liberi homines, qui ad servitium Dei se iradere volunt, praecipimus, ut prius hoc non faciant, quam a nobis licentiam postulent. Nam quia audiuimus, aliquos ex illis non tam causa deuotionis quam exercitum siue aliam functionem regalem fugiendo, quosdam vero cupiditatis causa, ab his, qui res illorum concupiscunt, circumuentos audiuimus; et hoc ideo fieri prohibebimus h),* attentius

g) In *Iur. Eccles.* Lib. III. Tit. *Capitular. Regum Francorum.* Lib. XXXV. §. XII. Tom. III. p. 317. VI. capitul. CCLXXXI. Tom. I

h) Apud STEPH. BALVZIVM p. 969.

tius perlegerit, is, vereor, ne menti Caroli Magni, huius Capitularis auctoris, licito plus tribuat, si ipsam providendi potestatem ab eo sibi vindicatam esse, exinde concludere velit. Quia potius id tantummodo cautum esse apparet, ut ne quis absque Regis consensu ad Clericatum admitteretur monachisque associaretur, quoniam alioquin metuendum, ne in fraudem militiae aliorumque servitiorum Regi praefandorum nimis cresceret clericorum et monachorum multitudo. Neque vero nobis ad tempora recentiora progredientibus maioris ponderis putanda sunt indicia ea, quae AYRERVS *i*) hac mente attulit, ut exinde probaretur, Imperatores potestatem inferioris quoque dignitatis ministros ecclesiae constituendi conferendique beneficia ecclesiastica minora ante annum MCXXII. exercuisse. Licet enim, a quo primum AYRERVS exorditur, ONUPHRIUS PANVINIUS rem omnem conficere tibi videatur, haec eius verba de Henrici IV. temporibus legenti: *Erat tunc consuetudo, ut ex omnibus Orbis Latini partibus infinita prope hominum diversarum conditionum millia aulam imperialem frequentarent. In his aderant diversarum Congregationum monachi, doctores, viri literati, nobiles et ignobiles, qui omnes eo confuebant, spe ducti, ut ab Imperatore sacerdotia consequi possent, quemadmodum nunc usus est in Romana Curia. Imperator enim non solum Episcopatus omnes et Abbatis minoraque omnia sacerdotia, ut praebendas, canonicatus, praeposituras, decanatus et huiusmodi conferebat, sed etiam Romanorum ipsum Pontificem designabat; k)* caueas tamen, ne plus fidei tribuas auctori, quam iure meretur. Neminem scilicet facile latere possunt tristia illa fata impuberis Henrici IV. Imperatoris, neque ignota sunt nomina Wernheri Comitis et Adalberti


B 3

Archi-

i) In Comment. *Ius prim. prec.* cap. I. §. XIII.

k) Ex eiusdem *Historia Vitae Gre-*

gorii VII. excerpta vides apud AYRERVM c. I. et PFEFFINGERVM in *Vituar. Illustr.* Lib. I. Tit. XV. Tom. I. p. 1385.



Archiepiscopi Bremensis, pueritiae Imperatoris rectorum, qui, dum saepius auctoritate ipsius ad id abuterentur, vt eo magis libidini suae atque auaritiae indulgere possent, ne ipsis quidem clericis parcentes, animos plurimorum hominum secularium aeque ac clericorum ita exacerbarunt, vt non solum crebras vbique querelas effunderent, sed etiam, quicquid sceleris esset, illis exprobrarent. Celebris extat locus LAMBERTI SCHAFNABURGENSIS 1), qui summa indignitate ductus, neque, quibus singula flagitia commode enunciet, verba idonea reperiens, omnia accumulatur et declamantium more inter alia in ista erumpit: *Hi duo pro Rege imperitabant; ab his Episcopatus et Abbatiae, ab his, quicquid ecclesiasticarum, quicquid secularium dignitatum est, emebatur; nec alia cuiquam licet industria atque egregio viro spes adipiscendi honoris ullius erat, quam vt hos prius ingenti profusione pecuniarum suarum redemisset.* Hunc locum quemadmodum recentiores Chronicorum et historiarum Germanicarum compilatores, veluti CORNERVS *m*) et HOFFMANNVS *n*), suo quilibet modo, aliis partim detractis, partim iterum additis, repetierunt, ita etiam PANVINVS, quem et ipsum ob oculos illum habuisse suspicor, pro suo ingenio tractauit, et, quae LAMBERTVS sermone commoto breuiter pronunciaisset, explicuit et amplificauit recentia cum antiquis et certa cum incertis pro libitu miscendo. Certe is, cui forte ratio ista minus arriserit, PANVINO, vt pote homini Imperatorum demum Ferdinandi I. et Maximiliani II. aetate viuenti, fidem denegare tam diu haud dubitabit, donec de fonte, ex quo hausit narrationem, haud

indicato,

1) *De Rebus gestis Germanorum* apud PISTORIUM *Res. Germanic. Scriptor.* Tom. I. p. 170.

m) HERMANNVS CORNERVS in *Chronica Nauella* ad ann. 8. imperii Henrici IV. apud ECCAR-

DVM *Corp. hist. med. aevi.* Tom. II. p. 601.

n) MARTINVS HOFFMANNVS in *Annal. Bambergens. Episcopatus* apud LVDEWIGIUM *Script. Res. Germanic.* Tom. I. p. 79.


indicato, certius quid constet. Sensit idem quoque AYRERVS, ac propterea lubricum hoc atque suspectum PANVINII testimonium argumentis ex historia ecclesiastica temporum Henrici IV. eiusque filii Henrici V. petitis confirmare conatus est. Cum enim a Gregorio VII. inde vsque ad Innocentium II. Pontifices Romani pluribus Conciliis et Synodis decreuissent, vt ne quis ecclesiasticam dignitatem de manu laicali acciperet, atque inter alia in Synodo Romae anno MLXXX. a Gregorio VII. habita sancitum esset: *Vt, siquis deinceps Episcopatum vel Abbatiam de manu alicuius laicae personae susceperit, nullatenus inter Episcopos vel Abbates habeatur, nec vlla ei vt Episcopo seu Abbati audientia concedatur. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus o)*, ac deinde in Concilio Pictauiensi anno MC. celebrato constitutum: *Vt nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel quaelibet persona de clero accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cuiuslibet laicae personae donum Episcopatus, vel Abbatiae, vel ecclesiae, vel reliquarum rerum ecclesiasticarum, sed Episcopi a suo Metropolitano, Abbates, Presbyteri et ceterae inferiores personae a proprio Episcopo; p)* existimauit AYRERVS, satis confirmari narrationem PANVINII hisce decretis, ex quibus vigilantia, qua veteres Imperatores assertum sibi contra Clerum ius conferendi tam maiores quam minores dignitates ecclesiasticas exercuerint, manifesto appareat. At vero qua ratione ex illis tuto conici queat, quod Imperatores olim sicuti Episcopatus et Abbacias ita etiam minores ecclesiasticas dignitates eodem iure per terras Imperii contulerint, id

me

o) Ex Actis Synodi, quae Lib. VII. Epistolar. Gregorii VII. post Epistolam 14 extant, depromta leguntur apud PFEFFINGERVM l. c. Tom. I. p. 1385. et AYRERVM l. c.

cap. I. §. XIII. vt et c. 12. C. 16. §. 7.

p) Vid. BARONII *Annales Eccles.* Tom. XII. ad ann. 1100. p. 12. et PFEFFINGERVS l. c. Tom. I. p. 1387. nec non AYRERVS l. c.



me haud intelligere, libere fateor. Quodsi enim verba decretorum intueor, ea sane me admonent, fuisse eadem illa aetate laicos, qui utriusque generis beneficia ecclesiastica dispensarent; quisnam vero maiora et quisnam iterum minora, Rex, an Comes, an alius contulerit, de eo plane incertus relinquitur. Quemadmodum igitur historia duce investitura de Episcopatibus et Abbatibus ad Imperatores et Reges recte refertur, ita etiam nihil magis congruum rei esse videtur, quam ut in definiendis inferiorum dignitatum collatoribus eandem sequamur. Docet autem, et pluribus ex ea BOEHMERVS q) ostendit, extitisse olim laicos, qui ex iure patronatus ecclesiae ministros non tantum eligere, verum sua etiam auctoritate constituerent, ac de ecclesia eiusque bonis tanquam domini inuestirent. Quod cum Episcopi Dioeceseon, quibus praeter examen et ordinationem in clericum nihil integrum remanserat, aegro animo ferrent; Pontifices Romani omni, quo poterant, seruore annexi sunt, ut iura patronorum diuinerent, et, quae his erepta essent, Episcopis vindicarent. Vnde tandem saepius decernendo saepiusque decreta repetendo et denuo confirmando res eo redacta est, ut patroni de pristinis iuribus suis nonnisi ius praesentandi saluum sibi haberent r). Spectant itaque, quod et THOMASSINVS s) contendit, decretorum verba, quibus laici, quominus inferiores dignitates ecclesiasticas in posterum conferant, prohibentur, ad patronos seculares, quorum e numero quam vis negari nequeat Imperatores quoque fuisse, multum tamen abest, ut eis alia sacerdotes minores constituendi potestas, quam quae ex iure patronatus proficisceretur, vi decretorum istorum commode attribuat. Atque haec fere sunt

q) In *Iur. Eccles.* Lib. III. Tit. XXXVIII. §. XXV-XL. Tom. III. p. 481 seq.

r) Conf. idem BOEHMERVS l. c. §. LI-LVII. et §. C.

s) LVDOVICVS THOMASSINVS in *Ancienne et nouvelle discipline de l'Eglise.* Part. II. Lib. I. c. XXXII. §. XV.

sunt testimonia, quae in fauorem saepius commemoratae potestatis veterum Imperatorum ex iure circa sacra maiestatico oriundae offeruntur. At extant vero et alia eiusdem antiquitatis documenta, quae contrariam sententiam optime communiunt. Qua enim cura quantoque studio tempore Regum Francorum Merouingicae stirpis Episcopi inuigilauerint, ne ius ecclesiae distribuendi officia ecclesiastica imminueretur, ex Epistola ^z) elucet, quam S. Remigius Archiepiscopus Remensis ad Heraclium, Leonem et Theodosium, Francia, vt THOMASINVS ^u) conicit, Episcopos remisit, vbi, cum iubente Rege Chlodouaeo Presbyterium Claudio cuidam contulisset, ac propterea ab illis reprehensus esset, ita respondit: *Ego Claudium presbyterum feci, non corruptus praemio sed praeccellentissimi Regis testimonio, qui erat non solum praedicator fidei Catholicae sed defensor. Scribitis, canonicum non fuisse, quod iussit. Summo fungamini sacerdotio. Regionum praeful, custos patriae, gentium triumphator iniunxit.* Nec deinde dubium est, quin ipsa illa potestas, quam Episcopi sub regno Chlodouaei conferuare studuerunt, XI. adhuc seculo penes Episcopos fuerit, siquidem ex primo Synodi ab Urbano II. Pontifice Romano apud Melfiam anno MXC. celebratae Canone, vbi ita decretum: *Episcopus omnia sui Episcopatus membra, videlicet Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanias vel alias praeposituras ecclesiae, siue canonicas gratis absque omni venalitate disponat; praebendas etiam, quae canonicatus dicuntur, sine venalitate distribuatur* ^x), apparet, Episcopos aetate Urbani II. ecclesiae suae sacerdotes constituisse. Praebendas vero Canonicorum quod attinet, eas ab Episcopis Germaniae non solum seculo IX. et, quod ex illo ipso Canone Synodi Melfitanae discimus, XI. ex-

cunte,

^z) Apud DV CHESNE *Historiae Franciae Scriptor.* Tom. I. p. 850.

^u) l. c. Part. II. Lib. I. c. XXX. §. XIV.

^x) Apud BARONIUM *Annal. Eccles.* Tom. XI. ad annum 1099. p. 805.



eunte, verum etiam post pactum inter Henricum V. Imperatorem et Calixtum II. Pontificem Romanum anno MCXXII. initum adhuc colatas esse, duo evincunt testimonia. Etenim si de canonicibus disponendi potestas penes Imperatores fuisset, vnde, quaeso, Gunthario Archiepiscopo Colonienfi facultas, Canonicis ecclesiae suae liberam ipsorum electionis concedendi potestatem, quam indultam tamen ab eo esse, verba Actorum Synodi anno DCCCLXXXIII. apud Coloniam Agrippinam collectae ista confirmant: *Praeterea et hoc quisque ecclesiae amator agnoscat, qualiter iam factus vir pastoralis (Guntharius) illis (Canonicis) concessit atque donavit, ultra licitum fore, cum secura potestate et libero arbitrio inter se ordinare et facere tam de sua electione quam de omnibus suis rebus absque eius consultu et imperio; et paulo post: Nihilominus scilicet ipse idemque beatae et dignae memoriae vir et divini consilii inspiratione admonitus firma ac perpetua lege sancivit, ut nullus unquam Pontifex sine illorum conscientia sine consensu de ipsa substantia minimam unquam praebendam alicui per potentiam tribueret? y) Qui porro GEROHVS. Praepositus Reicherspergensis, tempore Eugenii III. Pontificis Romani de Canonicis irregularibus suadere potuisset, ut quilibet Episcoporum, vno quolibet eorum, qui eiusmodi sunt, decedente, non alterum ei similem in locum eius substituat, sed praebendas et beneficia ecclesiastica in manu sua retinens pauperibus interim distribui in elemosynam faciat, donec tanta fiat praebendarum liberatio, vnde vel sex vel decem, aut quot Canonicos regulariter viuentes in vicinia aliqua capella foueat, quos, illis malis vinitoribus viritim decedentibus, subintroducere in hereditatem Domini tanquam heredes legitimos possu? z) Aut quo iure eidem GEROHVS*

HO a)

y) Apud IOSEPH. HARTZHEIMIVM Conciliorum Germaniae, Tom. II. p. 357.

z) In Libro in Psalmum LXIV. siue

de corrupto ecclesiae statu; ad Eugenium III. Papam. Apud BALVZIVM Miscellaneorum Tom. V. p. 109 seq.

no a) de Canonicis conqueri licuisset, quod pro lubitu ecclesiasticos honores partim sibi usurpare vellent, partim sui similibus et etiam nequioribus conferre, si Imperatores eiusmodi beneficia dispensassent? Haud quidem me fugit, quod statuit AYRERVS b), perdidisse scilicet Imperatores pacto illo Calixtino pristinam suam sacerdotes minores et Canonicos constituendi potestatem. Verum merito, an immerito ita statuerit, vel ex illis, quae antea de virtute testimoniorum historicorum admonui, vnde idem AYRERVS hanc priorum Imperatorum potestatem eiusque exercitium probari voluerat, facile poterit diiudicari. Accedit insuper, quod omnis incliti huius certaminis inter Imperatores et Pontifices Romanos agitati historia abunde nos docet, de sola Episcoporum, Abbatum et Abbatissarum electione ac inuestitura certatum esse atque transactum, quippe cum neque in Privilegio c), quo Paschalis II. anno MCXI. Henrico V. inuestituram per anulum et baculum concessit, neque in ipsis pacti inter eundem Imperatorem et Calixtum II. postea initi formulis vbique fere obuiis, neque denique a scriptoribus, qui huic aetati proximi de turbis illis exposuerunt, PETRO nempe DIACONO, OTTONE FRISINGENSI, SIGEBERTO GEMBLACENSI, nec non auctoribus Chronicæ Regiæ S. Pantaleonis et Annalium Hildesheimensium multisque aliis d), minorum dignitatum ecclesiasticarum vlla facta sit mentio. Quae cum ita sint, cumque alia, quibus veterum Imperatorum de minoribus beneficiis ecclesiasticis prouidendi potestas ex iure circa sacra proueniens indicetur, vestigia nulla haecenus deprehensa sint; non possum non

C 2

adli-


a) Ibidem, p. 90.

b) In Commentat. *Ius prim. prec.* cap. I. §. XIV.

c) Apud BARONIVM *Annal. Eccl.* Tom. XII. ad annum IIII. §. XXIII. p. 99 seq. et PFEFFINGE-

RVM l. c. Lib. I. Tit. V. Tom. I. p. 554.

d) Quorum loca huc spectantia partim laudauerunt partim excerpterunt PFEFFINGERVS l. c. p. 550 seq. et BYRCARD. GOTTHELF. STRVVIVS in *Corp. Histor. Germanic.* Tom. I. p. 404 seq.



adstipulari BOEHMERO, ordinarios collatores beneficiorum ecclesiasticorum maiorum Imperatores, minorum autem Episcopos olim fuisse, adseueranti e).

§. III.

Eandem denique, quam DEINLINVS amplexus fuerat, sententiam recens quoque L. B. DE SENKENBERG ita quidem scribendo: a) *Mibi nunquam ius hoc recte aliunde, quam ex antiqua Regum Germaniae Galliaeque circa sacra potestate, cuius complexum Galli regaliā dicunt, deriuari videtur*, reliquis omnibus praetulit, sed paullulum diuersa ac multo copiosiore argumentatione exponere conatus est atque tueri b). Etenim cum omnes Germaniae Galliaeque clerici civili olim subiecti fuerint potestati, ipsorumque adeo Pontificum, Episcoporum et Abbatum electio a Caesaribus aut omnino penderit aut saltem confirmanda fuerit; dubium non esse putat, quin, etiam si istius aevi scriptores non verbis expressis de minoribus beneficiis retulerint, recte tamen is argumentetur, qui Caesaribus, quibus tantum iuris in beneficia maiora fuerit, tantundem et amplius in minima relictum esse, credat. Enimvero, beneficiorum istorum, quae Reges pro lubitu concedere potuissent, collationem ab ipsis, vel quia eam non tanti habuerint, vel quod Episcopus atque Clerum ecclesiarum sibi conciliare studuerint, his ea lege relictam esse, fingit, vt vnus saltem in qualibet ecclesia beneficii minoris prouisionem ab initio statim regni exercendam sibi reseruarent. Quibus vt aliunde quoque nouae accedant vires, praeterea ad simile ius Regum Gallicorum prouocat,


e) In *Iur. Eccl.* Lib. III. Tit. III. §. LXXIII. Tom. II. p. 314. et Tit. XXXVIII. §. CXLIV. Tom. III. p. 561.

a) In *Tract. de iure primar. prec.* etc. §. IV.

b) *Ibidem* §. V. et VII. X.

vocat, ex quo *pro iucundo aduentu ad coronam* ipsis facultas sit nominandi personas ad beneficia primum vacatura, quodque hinc *le Droit de joyeux avenement* soleat appellari. Quemadmodum enim magno consensu in id iam diu conuenerint eruditi, quod antiqua regnorum Galliae et Germaniae constitutio interna iuraque Imperantium a diuisione inde per longum tempus eadem remanserint, ita etiam ea, quae in Gallia obtinuerint, eodem aeuo, quo nondum diuersa rerum atque regiminis forma inducta sit, ad Germaniam applicari posse, statuit. Cum igitur Reges Gallorum, tanquam plerique, quos larga manu laudat c), eiusdem gentis scriptores testentur, iure illo iucundi aduentus ex antiquissima consuetudine gauisi fuerint, ita ut eius iam anno MCCLXXIV. mentio iniiciatur; Imperatoribus etiam Germaniae, sicuti alia similia iura, ita et ius precum primariarum eodem tempore contigisse, praesumit. Quae dum omnia considero, multa argumentationi huic inesse, ex quibus sententia de iure circa sacra tanquam vnico iuris primariarum precum fundamento verisimilitudinem quandam nancisci queat, libenter quidem concedo; at aeque tamen sentio, haud ita eam comparatam esse, ut prorsus menti persuadeat omnemque omnino praecludat dubitationem. Primum namque si vel maxime a potestate, quam Imperatores in conferendis beneficiis maioribus exercuerunt, ad eandem aut adeo maiorem circa minorum beneficiorum provisionem ipsis eodem tempore attribuendam absque iniuria legum dialecticarum conclusio fieri posse videatur, eaque tam parui uis fuerit scriptoribus coeuis, ut ne dignam quidem existimarent, quae obiter saltem uerbisque paucissimis commemoraretur; certe tamen vix credere licet, liberam beneficia minora dispensandi potestatem, quam Imperatores Episcopis et Praelatis concessisse finguntur, ab auctoribus Chronicorum adeo nihili aestimatum fuisse, ut, qui alias liberam Ab-

c) Ibidem §. VIII.



batum et Abbatissarum, nec non Aduocatorum ecclesiarum electionem ab Imperatoribus ecclesiis permissam, iuraque singula ecclesiae recens acquisita sedulo litteris mandarent, de solo illo iurium ecclesiasticorum incremento vsquam referre negligerent. Et quo deinde seculo dicamus collationem beneficiorum minorum a Regibus ad Episcopos et ecclesias translata esse, cum iam seculo IX. Archiepiscopus Coloniensis de praebendis Canonicorum ecclesiae suae prouiderit, et seculis aliquot ante Franciae Episcopi ius constituendi sacerdotes inferiores aduersus Regem Chlodouaeum et Archiepiscopum Remensem illi obedientem defenderint? Num vero, si quis forte opponat, ius prouidendi postea iuribus regiis accessisse, credibile est, ipsum Clerum, iurium suorum omni tempore tam acrem propugnatores, sponte illud Regibus detulisse? Aut, si iidem hoc regia sua auctoritate, Cleroque, potentiae ipsorum inuito adeo cedente, sibi vindicarunt, vnde in Actis Conciliorum et Synodorum, vnde in scriptis clericorum priuatis tam profundum de hac rerum ecclesiasticarum insigni conuersione silentium? Quod vero attinet Regum Gallicorum ius iucundi aduentus ad coronam, inter hoc et ius precum primariarum Imperiale similitudinem intercedere, nemo quidem negabit, sed, an id ipsum ad rem nostram faciat, recte poterit dubitari. Etenim cum iuris Regum Gallicorum anno demum MCCLXXIV. publice mentio iniecta reperitur, neque eiusdem gentis scriptores ab antiquissimo aeno illud repetentes prima ac genuina natalium tempora vlllo modo determinare valuerint, contra vero ex diplomate Rudolphi Habsburgici de anno MCCLXXIII. constet, Imperatorem istum ius precum primariarum exercuisse, atque ad antiquam et a Diuis Imperatoribus et Regibus ad se productam consuetudinem prouocasse; vtique incertum est, quinam priores, Germaniae Imperatores, an Reges Galliae, ius suum acquisuerint. Etiam si igitur scriptores Gallici, ius regium iucundi aduentus ad coronam ex iure circa sacra maiestatico emanasse, perhibuerint; exinde tamen, tum quod

quod de ipso hoc iuris Gallici fonte lis adhuc pēdet *d*), tum quod omnino nescitur, vtrum altero antiquius sit, neutiquam colligere licet, idem ius circa sacra maiestaticum iuris quoque primariarum precum fuisse fundamentum.

§. IV.

An 5) Aduocata ecclesiarum et 6) dominium directum et investitura feudalis?

Displicuit sententia hactenus exposita, praeter alios a DEINLINO *a*) nominatos, FRITSCHIO *b*), ac post eum AYRERO *c*), quorum vterque ex *iure Aduocatae ecclesiarum* potius, quam ex iure circa sacra ius precum primariarum deriuare tentauit. AYRERVS enim, quocum hic potissimum res est, originem iuris istius in tempora, pactum Henricianum et Calixtinum subsequētia, cecidisse, existimans, vel ideo sententiam illam amplecti non potuit, quoniam sibi persuasit, cum investitura per annulum et baculum simul de minoribus beneficiis prouidendi potestatem deperditum iuisse. Pristina autem Imperatorum in rebus ecclesiasticis auctoritate admodum imminuta, nihil AYRERO aptius ac firmiter visum est, quo ius primariarum precum fundaretur, quam honos Aduocatae ecclesiae, quem semper a
Regi-


d) Cuius rei testimonium est sententia TALONII, qui in *Traité de l'autorité des Rois touchant l'administration de l'Eglise*. P. II, diſt. 5. p. 194. mentem suam his communicauit: *Quant au droit de collation, dont le Roi jouit à titre de joyeux auenement et à titre de serment de fidélité, il seroit difficile, d'en trouver la raison hors de la longue possession et des*

edits extraordinaires de nos Rois: aussi peu de Parlements les reconnoissent, et ils ne sont gueres reconnus qu'au Grand Conseil.

a) In *Exercit. de iur. prim. prec. Imperatr.* etc. Cap. I. §. IV. not. (e).

b) In *Exercit. de imperiali prim. prec. iur.* Cap. II, n. 47.

c) In *Comment. Ius prim. prec.* Cap. I. §. XVI.



Regibus ac Principibus in ecclesiis ac monasteriis ab ipsis fundatis sibi reseruatam esse, Imperatoribusque ex graui illa iactura reliquum mansisse, dicit. Sed nec haec sententia omni sua caret difficultate. Quodsi enim cum AYRERO ad peculiarem illam tutelam ac defensionem, quam priscis temporibus barbara voce mundiburdium appellarunt, ac deinde nomine Aduocatae comprehenderunt, animum aduertamus, in eam multas quidem nonimus ecclesias ac monasteria a Regibus Francorum *d)* et Imperatoribus Germaniae *e)* receptas esse, tum quod Episcopi et Abbates, vim atque iniuriam hominum malorum metuentes, eos implorabant, tum quod ipsi in ecclesiis et monasteriis a se fundatis atque dotatis Aduocatiā vltro sibi ac posteris suis reseruabant. Neque, preces eorum de beneficio alicui conferendo, siue ipsi Aduocatiā exercerent, siue, quod saepius accidebat, aliis nomine suo exercendam committerent, ab his ecclesiis et monasteriis, quae arctissimo patrociniū vinculo iis obstricta erant, passim admissas esse, difficile est intellectu. Attamen cum non omnes ecclesiae, nec omnia monasteria huic peculiari Imperatorum Aduocatae subessent, imo potius et alii fundatores idem ius sibi retinere atque hereditario iure ad posteros suos transferre consuescerent; *f)* deerat sane ratio ab Aduocata arcessita precibus, quas Imperatores ad huiusmodi ecclesias aut monasteria dirigere intendebant. Quando vero vniuersam totius Ecclesiae Germanicae Aduocatiā, quae iuri circa sacra maiestatico inest, intelligimus, ea nec ipsa, quamquam neque ante neque post tempora Hen-

d) Vid. MARCVLFI *Formular.* Lib. I. Formul. XXIV. apud STEPH. BALVZIVM *Capitular. Reg. Francor.* Tom. II.

e) Vid. PFEFFINGERVS in *Vitr. Illustr.* Lib. I. Tit. XV. §. 9. not. a. n. 1. Tom. I. p. 1159. et not. b. p. 1161.

f) Vid. BOEHMERVS in *Iur. Eccl.* Lib. III. Tit. V. §. XXXVI. Tom. II. p. 283. et Litterae fundationum apud DE GVDENVM *Codic. Diplomatic.* Tom. I. n. XXIV. p. 53. n. XXVI. p. 60. n. XXXIII. p. 89. n. XXXIX. p. 103. n. LII. p. 139. n. LXXIV. p. 199. et n. CXI. p. 302.

Henrici V. vnquam in dubium vocata est, pro vnico iuris primariarum precum fundamento haberi potest. Etenim si illud in iure quodam Caesareo ponendum esse censemus, ex quo ordinarii collatores animo Imperatorum beneficia exigentiam obtemperare tenerentur; frustra sane ab Aduocatia, cui ius tale sua natura nunquam adhaesit, originem iuris primariarum precum repetimus. Contra vero, si fundamento iuris istius determinando occupati nihil nisi primarias rationes, quibus ordinarii beneficiorum collatores potissimum moti preces Caesareas implerent, inuestigamus, non subest causa, cur caeteras omnes nec tamen minus graues excludere, et solam Aduocatiam ecclesiarum fundamenti loco ponere velimus. Neque dubitationes istas A Y R E R V M eo remouisse putauerim, quod, Reges quoque Gallicos sub regni sui auspiciis in singulis Abbatibus custodiae suae commissis ius precum primariarum exereuisse, ex formula sententiae in Curia Parisiensi anno MCCLXXIV. pronunciatae admonuit haec continente: *Cum dominus Rex, vtendo iure suo regio, in principio sui regiminis post suam coronationem in Abbatia regni sui, de gardia sua existente, possit ponere videlicet in monasteriis monachorum vnum monachum, et in monasteriis monialium quandam monialem g*). Quauis enim vocabulum Gardiae non male ita interpretetur, vt ea tutelam ac protectionem s. Aduocatiam denotari velit; attamen, quoniam partim Aduocatia, sine peculiaris illa antiquioribus temporibus vstitata, siue, quae vniuersam Ecclesiam amplectitur, intelligatur, quantum equidem scio, nunquam ius conferendi beneficia sibi adiunctum habuit, partim, vt supra iam dixi, gallici scriptores de fundamento iuris iucundi aduentus nondum inter se conuenire potuerunt, non video, quomodo ex eo, quod Reges Gallicarum in Abbatibus, gardiae suae subiectis, ius iucundi aduentus exercere soliti

g) Vid. Arresta Parlamenti Parisiensis, et ibi Arrest, XXVI. apud CAROL. MOLINAEVM *Operum omnium* Tom. I. p. 2135.

soliti sint, sequatur, Caesareum ius primariarum precum in Aduocatia tanquam fundamento suo eoque vnico niti. Accedit praeterea, quod idem AYRERVS a via postea digressus est, dum in scripto recentiori *b*) assensus quidem sententiae illi praebiti adhuc dum eo minus se poenitere fatetur, quo propius ea a vero abesse videatur, at nihilominus tamen cum Gallo quodam Causidico, sicuti iuris iucundi aduentus, ita et iuris primariarum precum Caesarei fundamentum ex *inuestitura* et *dominio directo*, Regi Galliarum et Imperatori Romano in bona ecclesiastica, quae ex feudis Laicorum plurimam partem vel exorta sint vel saltem adaucta, competente, deriuari posse, existimat. Cum enim nulla inter Aduocatiam ecclesiarum et dominium directum feudale necessitudo intercedat, sed hoc ab illa longe diuersum sit, AYRERVS manifeste innuit, et de fundamento iuris iucundi aduentus scriptores gallicos coeuos quidem suos dissensisse, et semetipsam sententiae adhuc suae paullulum diffusum esse. Ad nouam vero coniecturam quod attinet, Gallus ille anonymus, quantum e locis ab AYRERO suppeditatis *i*) patet, ius iucundi aduentus originem suam nexui Episcoporum

b) In Progr. de Origine iuris prim. prec. nouis observationibus ex nexu bonorum eccl. iusticorum feudali colostrata; de anno 1752.

i) Galli anonymi Tractatus, quem nondum typis impressum secum communicatum esse, AYRERVS in Progr. asserit, eodem teste ita inscriptus fuit: Si l'Eglise metropolitaine de Cambray et les Eglises d'Arras et de St. Omer, qui en dependent, sont sujetes au droit de joyeux auenement? Plura ex eo AYRERVS Programmati inseruit; sed loca, quae huc spectant, sunt haec:

C'est (scilicet ius iucundi aduentus) un droit, qu'il (Rex Galliae) exerce dans les Abbayes, qui sont en sa garde, limitation, qui fait voir, que ce droit propre, que l'on auroit pu entendre d'un droit de Souveraineté, doit être déterminé à un droit féodal, d'où il derive manifestement, puisqu'il ne s'applique qu'aux Eglises, dont le Roi étoit le Seigneur immédiat.

C'est au commencement de son Regne, qu'il usé de ce droit; et si l'on y joint celui du serment de fidélité, il en usé aussi, lorsque l'Evêque entre en possession de son Evêché, prerogative, qui exprime

porum et Praelatorum cum Regibus feudali ideo debere arbitratur, quoniam in ecclesiis, quae Regibus tanquam dominis immediatis subsint, et in Episcopopatibus, quoties succedat nouus Episcopus, nomine iuris homagii siue iuramenti fidelitatis exerceatur. Ac cum deinde causam originis eius propiorem a remissione laudemii aliarumque obligationum vassallicarum arcessendam coniciat, AUREVS coniecturam istam ad ius primariarum precum Caesareum ita applicat, vt, Episcopus et Abbates in compensationem ac recognitionem immunitatis ab expeditionibus debitisque seruitiis paullatim indultae dispositionem de praebenda quadam, quae ad iura Episcopatus vel Abbatiae spectaret, nouo cuique domino directo sub regni sui initium concessisse, censet. Quae quidem sententia etsi a verisimilitudine haud vtique aliena videatur, reliquis tamen huc vsque recensitis merito praeferi nequit,

D 2

quando-


exprime parfaitement le caractère du droit féodal, suivant lequel les vassaux sont obligés à reconnoître leurs Seigneurs en deux tems, l'un, quand ils commencent à jouir de leur fief, l'autre, quand ils ont un nouveau Seigneur.

Ainsi par le droit de Regale pendant la vacance des sieges le Roi comme Gardien de l'Eglise entre en possession des fruits et confere les benefices, qui en font partie selon les Canonistes, comme Gardien noble jouit des reuenus de son mineur et dispose des benefices, qui sont à sa collation ou à sa presentation, et comme le Roi lui-même en use dans les Provinces, ou la Garde Royale est établie.

Lorsque le Siege est rempli, l'Evêque ou l'Abbé, devenant l'homme du Roi et étant obligé de lui rendre l'hommage, que l'on appelle aujourd'hui le

serment de fidélité, il devoit suivant les loix féodales s'acquiter envers le Roi du droit de relief, qui consiste suivant l'usage le plus commun des fiefs dans la Jouissance d'une année, et outre ce droit un grand nombre de vassaux sont encore chargés de quelques redevances d'honneur, qui sont fixées à un present à l'usage des nobles: L'Evêque satisfait à cette obligation en remettant au Roi la nomination d'un benefice dependant de sa collation.

Et alio loco: Les même motifs, qui ont établi le droit de joyeux auènement par rapport aux monastères, ont deü y sousmettre aussi les Evêchés, même droit de garde et de protection, même devoir envers le Seigneur féodal et le Souverain, même obligation de reconnoissance pour l'exemption des droits, dont les autres vassaux sont chargés.



quandoquidem, id quod necesse erat, nondum enictum est, immunitatem illam, quam Imperator Fridericus I. Archiepiscopo Bremensi indulgit *k*), Episcopo etiam Halberstadensi *l*), ac caeteris omnibus Episcopatibus et Abbatibus ante Rudolphum per eandem Imperatorum indulgentiam contigisse.

§. V.

Origo iuris primariarum precum non uni sed pluribus causis debetur.

Neque vero diffiteor, me, omissis omnibus his sententiis, cum WVERDTWEINIO *a*) et BOEHMERO *b*) mera consuetudine acquiescere malle. Quid enim de singulari iuris primariarum precum titulo inuestigando solliciti sumus, cum, ipsos Imperatores nonnisi precibus illud obseruasse, e diplomatibus perspiciatur? Fac scilicet, ius illud a Caesaribus ea ratione acquisitum esse, ut aut ipsam de beneficiis prouidentem potestatem, quemadmodum SENKENBERGIVS statuit, aut aliud ius, quod antea in ecclesias et monasteria exercuerant, remittentes illud sibi reseruarent, vel alio cuiuscunque generis pacto et transactione sibi stipularentur, anne probabile putemus, eosdem, quibus beneficii collationem iure suo postulare licebat, precibus magis atque consuetudinis adiumento vsuros fuisse? Nonne contra hae ipsae nos adhortari videntur, ut, quae alias plerumque iurium consuetudinariarum

k) Diploma anno MCLIX. datum vid. apud LVNIGIVM *Teutsches Reichs-Archiv. Spicil. eccles. Fortf. des ersten Theils. Anh. p. 103. Tom. XVI.*

l) Eum sub eodem Friderico I. hac immunitate adhuc caruisse, testantur GVENTHERVS LIGVRINVS *de Gestis Friderici I. Lib. II. vers. 40 seq.*

apud REYBERVM *Veter. Scriptor. p. 301.* et OTTO FRISINGENSIS *de Gestis Friderici I. Lib. II. cap. XII.* apud VRSTISIVM *Res. Germanic. Tom. I. p. 452.*

a) In *Subsid. Diplom. Tom. II. N. I. not. b.*

b) In *Princip. Iur. Canon. §. 544. p. 399.*


riorum origo esse solet, ad eandem etiam ius precum primariorum referamus, ideoque vel breuiter rem ita animo concipiamus, vt, preces Imperatorum, saepius directas saepiusque a collatoribus ordinariis admittas, tandem longo vsu in consuetudinem ac dehinc in ius perfectum abiisse, dicamus, vel, si penitius originem cupimus edoceri, causas precibus obtemperandi primarias, quantum quidem fieri potest, ope historiarum assequi conemur? Atqui vero tantus fuit Imperatorum in ecclesiam fauor, vt non modo Episcopatus et Abbatis Germaniae plurimam partem fundarent atque dotarent, sed largissima etiam dona ecclesiis, quas ab antecessoribus iam fundatas reperiabant, prodiga manu distribuerent, atque ab hac sua beneficentia sese non ante abstinere, quam fontes largitionum suarum exhaustos seque ipsos omnibus prope bonis exutos viderent c). Neque tamen hisce terrarum oblationibus animo suo benefico omnino satisfecisse videbantur, nisi easdem ecclesias iuribus quoque egregiis, quibus hactenus caruerant, exornarent eisque varia et insignia privilegia indulgerent: inter quae iura monetas cuedendi, nundinas habendi exigendique telonia, nec non castella cum turribus et propugnaculis erigendi, et a iudiciaria Ducum et Comitum potestate immunitas eminebant. Quo magis autem opes ac diuitiae ecclesiarum crescebant, eo plura paulatim mala ingruere incipiebant. Hinc enim crebrae illae inter ecclesias et vicinos potentiores discordiae obortae et tentamina hostilia Ducum et Comitum enata sunt, quippe qui, nimium terrarum incrementum ecclesiis inuidentes, singulas sensim particulas quouis modo decerpere suisque terris adficere magno conamine aggrediebantur. Quapropter cum alios ordinariorum collatorum reminiscencia beneficiorum indeque excitata animi gratitudo moueret,

D 3

alios

c) Praeter alias collectiones oblationum s. traditionum vid. PFEFFINGERVS in *Vitr. Illustr.* Lib. I.

Tit. XV. Tom. I. vbi indicem charitarum donationum admodum copiosum exhibuit.



alios porro spes privilegia noua adipiscendi metusque, ne iam impetrata denuo perderentur, omnes denique cupiditas Imperatores sibi deuinciendi, eorumque patrocinium comparandi necessitas duceret; haud fuerit, quod, ab iisdem precum Caesarearum non solum primas admittas, sed nec eas, quae postea repetitae essent, reiectas esse, mirari possimus.

§. VI.

*De tempore originis iuris primariarum precum
variae sententiae.*

Enimvero his, quae ad fundamentum iuris precum primariarum spectant, nimis prolixè discussis, ad ea iam progredior, quae de ipsa aetate, in quam eius origo cecidit, prolata reperio. Hanc autem cum et ipsam scriptores coaeui non minus ac eiusdem iuris primariam causam penitus reticendo tenebris reliquerint altissimis latentem; cuiuslibet statim animaduertere licebit, vix aliter enenire potuisse, quam ut viri docti in ea inuestiganda a se inuicem dissentirent. Quantumcunque vero singulorum sententiae inter se differant, in eo tamen conueniunt, quod alii, FRITSCHIVS *a)* nempe, DEINLINVS *b)* et L. B. DE SENKENBERG, ius precum primariarum iam ante patrum Calixtinum extitisse, alii contra, GRIBNERVS *c)*, BOEHMERVS *d)*, AYRERVS *e)*, SCHOTTIVS *f)*, et MOSE-
RVS

a) In Exercit. de Imper. primar. prec. iur. Cap. I. n. 11.

b) In Exercit. de iur. prim. prec. Imperatr. etc. Cap. I. §. III.

c) In Diss. de primar. prec. Imperial. §. VII.

d) In Iur. Eccles. Lib. III. Tit. V. §. CI. Tom. II. p. 339.

e) In Diss. de iure prim. prec. Caesareo etc. §. II. not. k. et §. VII.

f) In Diss. de iur. prim. prec. vxo-ribus etc. §. II. p. 9.

rvs g), natales eius ad tempora pacto illo recentiora referendos esse, flatuerint. Ac horum quidem plerique, preces primarias ad imitationem similitum precum Papalium aetate illa haud infrequentium dirigi ab Imperatoribus coepisse, opinati sunt: idque, qui eandem sententiam sequitur, SCHMIDTIVS h), vel e stilo formulae precum Rudolphinarum cum eo, quo Pontificum Epistolae conceptae fuerint, quam maxime congruente, manifesto apparere, contendit. At contrariam sententiam L. B. DE SENKENBERG i) propterea amplecti maluit, quod partim Otto IV ius illud iam obseruasse ipsi visus est, partim etiam nulla sibi ratione de tanta Imperatorum post Henricum V. auctoritate persuadere potuit, ut, quo tempore non modo omnis fere ipsorum in ecclesiam potestas pessum iam data, sed de reliquis etiam iuribus antiquissimis ac vel minimae dubitationi obnoxiiis litigatum fuerit, eodem ius istud nouum acquirere valuerint. Atque hanc equidem sententiam, si quid modo in re tam obscura dici queat, altera duxerim verisimiliorem. Etenim haud quidem approbo opinionem SENKENBERGII, MOSERI k) et aliorum, qui, CONRADVM VRSPERGENSEM, dum de Ottone IV inter alia ita scripsit: *Habebat autem famulos suos de Saxonia et Anglia, seu clericos, seu laicos, quibus omnia beneficia, quae contigit vacare, studuit conferre. Fuerat autem consuetudo principum, ut hilariter et promte beneficia seu ecclesias conferrent primis petentibus, quod iste nequaquam facere voluit l)*; de iure primariorum precum locutum esse, interpretati sunt. Quoniam enim iuri Regalium, cuius virtute veteris acui Impera-


g) In *Teutsch. Staatsrecht.* Lib. II. Cap. XXXI. §. 4. Part. III.

h) MICH. IGNAT. SCHMIDTIVS in *Geschichte der Deutschen* Part. III. Lib. VI. cap. 18. p. 231. ex edit. Ulmenf. a. 1779.

i) In *Tract. de iur. primar. prec.* §. VII, X et XX.

k) c. l.

l) In *Chronico suo*, et ibidem in historia Ottonis IV. p. 239. ex edit. Argent. de a. 1609.



peratores beneficia Episcopatus vel Abbatiae vacantis contulerunt, a Friderico demum II. renunciatum legimus *m*), neque, praeter hoc Ottoni IV adhuc ius patronatus exercendi occasionem reliquam fuisse, improbabile videtur; verba CONRADI, vt recte AYRERVS *n*) et SCHMIDTIVS *o*) obseruauerunt, de promissione beneficiorum ex iure Regalium et patronatus competente aequae, ac de iure primariorum precum accipere licebit. Verum praeterquam, quod cetera SENKENBERGII argumenta, licet rem non exhauriant, haud tamen contemni merentur, nullam plane in historicis temporum illorum monumentis causam suggestam video, quae nos cohibeat, quominus, et ante pactum Calixtinum Imperatores ab Episcopis et Abbatibus beneficia ecclesiastica bene meritis quibusdam conferenda expectere sustinuisse, cogitemus. Etenim si quis facultatem ad Episcopos et Praelatos ecclesiarum preces fundendi successoribus Henrici V vindicare nullus dubitauerit, quidni eam multo magis et antecessoribus asseri posse credat? Et si illis vota sua prospere cesserunt, putemus ne, hos, a quibus Praefules ecclesiarum constituebantur, voti sui minus composites exituros fuisse? An vero, illis tantum precum pro amicis dirigendarum copiam datam, his autem neminem fuisse, dicamus, cui, si de suis benefacere non liceret, ab Episcopo vel Abbate de feudo *p*) aut beneficio ecclesiastico prouidendum curarent? Neque hisce obstat, quod Pontifices Romani primum precibus vsi, eosque deinde Imperatores

m) Diploma extat apud MEIBOMIUM *Rev. Germanicar. script.* Tom. II. p. 377.

n) l. c. cap. I. §. XVI.

o) l. c. not. c. p. 230.

p) Istiusmodi precibus Henricum IV Imperatorem vsam esse, Epistola eius ad Ottonem Episcopum Bamber-

gensem testatur, quae extat in VDALRICI BABENBERGENS. *Codic. Epistolari* Epist. CCX. apud ECCARDVM *Corp. histor. med. aevi.* Tom. II. pag. 208. et in *Var. Epistol. ad rerum Bambergens. illustrat. pertinent.* Epist. I. apud LVDEWIGIUM *Script. Rev. Germanic.* Tom. I. pag. 812.

tores imitati esse perhibeantur. Nam si vel maxime concesseris, inter filium formulae precum Rudolphi et, quem Epistolae Pontificum prae se ferunt, similitudinem eamque adeo, ut ex collatione Epistolarum Hadriani IV. et Innocentii III. atque formulae Rudolphinae apparet ^{q)}, parvam intercedere, precesque Rudolphi ad exemplar precum Papalium conceptas esse; multum tamen abest, ut inde sequatur, preces Imperiales ex imitatione Papalium originem suam cepisse, quippe quod haud aliter, quam si probatum fuerit, priorum etiam Imperatorum atque eius inprimis, qui omnium primus preces dirigere coepit, formulas ad imitationem precum Pontificum conceptas fuisse, poterit asseuerari.

CAP.

q) Ex Epistola Hadriani IV. *Fraternitatem tuam pro his, qui nobis obari sunt, rogare non dubitamus etc. Cancellarius Regis Franciae Romanae Ecclesiae et nobis quantum deuotus sit et fidelis, prudentiam tuam non credimus ignorare. Inde est, quod illum fraternitati tuae duximus plurimum commendandum, rogantes attentius, quatenus pro Beati Petri et nostrarum reuerentia literarum primum personatum vel honorem, qui in tua vacabit ecclesia, ei concedas, ut et ipse nostras sibi preces sentiat fructuosas, et nos de nostrarum precum admissione gratiarum tibi exolvere debeamus actiones; quae recepit THOMASSINUS in Ancienne et nouvelle discipline de l'Eglise. Part. II. Lib. I. cap. XLIII. §. II. Ex Epistola Innocentii III: Sic autem has primitias*

precum nostrarum reuerenter admittere studeatis, ut devotionem vestram debeamus proinde commendare et vos in vestris petitionibus efficacius exaudire; apud STEPH BALVZIVM Epist. Innocentii III. Lib. I. Epist. 529. Tom. I. p. 300. E diplomate Rudolphi: Cum ex antiqua et approbata ac a Diuis Imperatoribus et Regibus ad nos producta consuetudine quaelibet ecclesia in nostro Romano Imperio constituta, ad quam beneficiorum ecclesiasticorum pertinet collatio, super vnus collatione beneficii precum nostrarum primarias admittere teneatur, devotionem tuam rogamus, quatenus haec Clerico de Ecclesiastico beneficio, quod ad tuam collationem atinet, ob reuerentiam sacri Imperii studeas liberaliter providere; apud WVERDTWEINIVM Subsidi. Diplom. Tom. II. n. I.

E

C A P. II.

Historia iuris primariarum precum Imperialis eiusque exercitii.

§. VII.

Sub Conrado IV.

Quamvis autem recte contendatur, sententiam, qua natales iuris primariarum precum pacto Calixtino verastiores esse statuuntur, contraria verisimiliorem esse; nulla tamen iuris istius ante Conradi IV. aetatem exercitii notitia certa atque indubitata ad nos huc usque peruenit. Quam parum enim fiduciae habendum sit verbis CONRADI VRSPERGENSIS de Ottone IV. incertis atque ambiguis, non est, quod iterum moneatur. Sed de hac ipsa notitia ulterius olim promovenda haud omnino desperari debere, diploma precum primariarum noniter a KOCHIO Consiliario Brunsvicensi e scriniis in lucem protractum et cum SENKENBERGIO anno MDCCL. communicatum ^{a)} ostendit, quippe quo fines historiae iuris primariarum precum, antea a Rudolphi Habsburgici aevo exordium capientis, ultra spatium XL. annorum promotos, consuetudinemque, ad quam Imperator ille postea prouocauit, comprobatae videmus. Hoc autem, etsi alio loco denuo pertractandum fuerit, hic tamen, cum sit antiquissimum precum primariarum documentum, saluo historiae nexu omitti nequit. Direxit igitur in eo Conradus IV. preces suas primarias pro filio Comitum

^{a)} Vid. eius Tract. *de iure primar. prec.* §. XXI. et diploma ibidem in Cod. Probat. p. I et g. Adiunct. I.

mitis cuiusdam de Eberstein ad Capitulum Hildesheimense, quod, ut eo libentius illum in numerum Canonicorum reciperet, argumentis partim ab utilitate ad Capitulum ex prouisione nobilium et honestorum virorum redundante, partim a reuerentia maiestati suae debita, partim denique a spe gratias suas, et si quid olim precaturum sit, id facilius obtinendi, repetitis commouere conatus est, dum: *Si primitias, inquit, precum nostrarum deuotioni vestre offerimus pro hiis, qui grati sunt nostro culmini et accepti, tanto reuerentius illas a vobis credimus admittendas, quanto in eis, cum sint nobiles et honesti, videtur et vobis et Ecclesie salubrius prouisum fore. Hinc est, quod pro filio Comitis Ludouici de Eberstein clerico et fideli nostro, quem in fauorem sue progeniei, quae semper nobis et Imperio adhaesit fideliter, diligimus ut devotum, primitias precum nostrarum vobis duximus offerendas: Rogantes et monentes attente, quatenus eundem clericum et fidelem nostrum in ecclesia vestra recipiatis in canonicum et in fratrem, prouidentes ei de praebenda, si qua vacat ad praesens, vel quam primum vacare contingit, pro nostre reuerentia maiestatis, ut exinde petitiones vestras, quotienscumque nobis oblate fuerint, teneamur fauorabiliter exaudire.* Neque silentio praetereundum duco, primum hoc diplomate exemplum precum primariarum offerri, quas a Rege Romanorum haecenus datas esse compertum habemus. Conradum enim eo tempore, quo preces illas direxit, ad ipsam Imperatoris dignitatem nondum euectum esse, et inscriptio ita concepta: *Conradus domini Imperatoris Friderici filius dei gratia romanorum in regem delectus, semper Augustus et heres regni Ierusalem*, et temporis etiam ratio euincunt, quandoquidem Indictio XV, qua datae sunt literae Conradinae, in annum MCCXLII. incidit *b)*, Fridericum autem II. anno MCCL. demum diem

E 2

obiisse

b) Vid. PETR. GEORGISHII *Regesta Chronologica-Diplomatica* ad a. Chr. 1242. Tom. I. p. 1021.



obiisse, neminem fugit. Vtrum autem hinc sententia *AVRERI c)* et aliorum existimantium, Regem Romanorum iure primariorum precum nonnisi vi potestatis ab Imperatore mandatae gaudere, confirmari, an potius impugnari queat, de eo certi quid cessari ideo non licebit, quoniam propria, an mandata sibi a Friderico patre auctoritate Conradus preces illas dederit, ex ipso quidem diplomate non elucet, nisi forte Regem Romanorum eadem ratione, qua Imperatores, ius istud adeptum esse, a vero haud abfimile videatur.

§. VIII.

Sub Richardo.

Ad Wilhelmum atque Richardum, qui post Conradum IV. regnarunt, progredientes statim quidem in pristinas, e quibus vix prodieramus, tenebras recidimus; sed non tantae sunt, ut ipsa narratio per eas plane interrumpatur. Quamvis enim diplomata, unde de iure primariorum precum ab vno alterove illorum obseruato certiores fieri possimus, nulla detecta sint; ius tamen illud a Conrado inde vsque ad Rudolphum Habsburgicum nentiquam in desuetudinem abiisse, aliunde docemur. Etenim cum L. B. DE SENKENBERG ob controuersiam super fundamento iuris primariorum precum Imperialis diu agitam locum *DVRANDI*, quem partes in litem vocauerant, inspiciens haec ibi legeret: *Imperator habet priuilegium, quod ego vidi bullatum, quod in qualibet ecclesia Alemaniae possit facere vnum recipi: unde in hoc articulo coram me sic libellus conceptus fuit: Coram etc. propono contra P. quod cum ad primitias precum serenissimi principis domini R. regis Romanorum receptus fuerim in canonicum et in fratrem in tali ecclesia, post hanc meam receptionem in eadem ecclesia talis praebenda*

c) In Comment, *las primar. precum.* cap. III. §. I.

praebenda taliter vacavit, quae mihi de iure debetur etc. a) primus omnium, qui eandem ob causam hunc locum continua manu versaverant, id quod ipse miratur b), animaduertit, ipsum adeo DVRANDVM verbis his manifesto indicare, quod Richardus etiam, Wilhelmi successor, iure hoc primariorum precum vsus fuerit. Ac profecto, quamquam forte aliquis dubitauerit, verum ac genuinum Regis Romanorum nomen littera illa R. a DVRANDO expressum esse, quippe qui in libellis suis iudicialibus, sicuti partem aduersariam vbique littera P., ita etiam actorem aliasque personas, ad quas vlllo modo causa, quae ageretur, spectaret, litteris, quaecumque primum in mentem venirent, notauerit; praeter Richardum tamen alius Rex Romanorum, quem illum ob oculos habuisse dicamus, vere intelligi nequit. DVRANDVS enim Speculum Iuris, si verbis quidem FICHARDI c) fides habenda est, anno MCCLXXI edidit, vitaeque sua paullo post, licet, vt ANDREAS Speculi Glossator innuit d), post mortem demum Adriani V. Pontificis Romani, quem anno MCCLXXVI. defunctum esse constat, excessit iuuenis adhuc et annum XXX. aetatis suae haud ita multum egressus. Iam vero nouimus, Rudolphum Habsburgicum duobus annis post editionem Speculi, anno nempe MCCLXXIII. Imperiali dignitate exornatum esse, annisque XVII. ante in Frisia Wilhelmum manu hostili cecidisse. Quando igitur DVRANDVS in Speculo suo refert, quod in Curia Romana de praebenda quadam ex iure primariorum precum Regis Romanorum debita et retenta litigatum, agendique libellus coram se conceptus fuerit; quilibet consentiat, necesse

E 3

cesse

a) GVIL. DVRANDVS in *Speculo Iuris* Lib. IV. Partic. III. Tit. de praebend. et dignitat. §. 2. n. 7. p. 209. Edit. Basil. de a. 1574.

b) l. c. §. XXII.

c) IO. FICHARDVS, *ICTus*

Francfortensis in *Periobis Vinar. ICTor. neopalaeor.* ibique in vita G. DVRANDI, quae ex illis descripta et Speculo Iuris praemisissa reperitur.

d) IO. ANDREAS ad Prooemium Speculi Iuris, gloss. a.

esse est, eum neque ad preces Wilhelmi, quo pereunte vix pubes enaserat, respicere, neque de precibus Rudolphi, qui Speulo iam edito ad Imperium ascendit, loqui, ideoque neminem nisi Richardum, cui Rudolphus successit, intelligere potuisse.

§. IX.

Sub Rudolpho Habsburgico.

Verum, quae de exercitio iuris primariarum precum per haec tempora nonnisi ope argumentationis suppleri poterant, ea, dum ad Rudolphi Habsburgici aetatem prouenimus, ex ipsis denuo diplomatibus haurire licet. Quinquies enim vsus est precibus, quibus, cum a Conradinis longissime differant ac prima doctrinae iuris illius elementa contineant, paullulum immorari, operae fortasse pretium erit. Quemadmodum igitur Rudolphus Conradum auctoritate per Germaniam praestabat, ita etiam in exercendo iure precum Imperialium rationibus illis, quibus Rex Germanorum collatores ad obsequium excitare studuerat, minime acquiescens, causam multo validiorem, consuetudinem nempe antiquam, allegauit, sibi que ex ea non ab vno alteroue duntaxat collatore, sed ab omnibus ac singulis ecclesiis in Imperio Germanico existentibus beneficium aliquod ecclesiasticum semel, dum reget, in fauorem personae nominatae expetendi potestatem vindicauit. Atque haec ita se habere, tum e diplomate supra iam commemorato *a)*, tum ex aliis a SENKENBERGIO e CHIFLETIO et CENNO collectis *b)* apparet, quorum quidem alterum: *Dum, incipit, in nostrae Sublimationis exordio quaelibet ecclesia in Romano Imperio constituta super prouisione vnius personae primitias precum nostrarum ex antiqua*


et

a) §. VI. not. q.*b)* Vid. Tract. *de iure primar.**prec. §. XXIII. et Cod. Probat. Adj. III-VII.*

et approbata consuetudine Sacri Imperii admittere tenetur, primarias tibi offerimus preces nostras c); alterum vero itidem statim sub initium haec offert: Regiae Maiestatis splendescens Serenitas sic aliorum iura et consuetudines protegit et tuetur, quod unicuique suum esse tribuitur et seruatur. Quanto magis ipsa Regia magnificentia propria iura tenetur defendere, quae aliorum nititur conseruare? Cum igitur antiqua et approbata ius nostris antecessoribus Diuis Imperatoribus et Regibus contulerit consuetudo, quod singulae personae in singulis cathedralibus et aliis collegiatis ecclesiis ad primarias preces Regias recipi debeant in Canonicos et in fratres, praebendam, cum se facultas obtulerit, adepturi; Nos eorundem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes per (siue rectius fortasse, pro) N. primarias vobis dirigimus preces nostras d); quibuscum ea, quae in literis ad Episcopum quendam datis occurrunt: Nullum etenim angulum latet imperii, quin ex antiqua et approbata imperii consuetudine nobis nostrisque praedeccessoribus Diuis Romanorum Imperatoribus et Regibus a quibuslibet Praelatis ecclesiasticis vnus personae prouiso debeatur e), optime congruunt. Neque dubium esse videtur, quia idem Imperator, similem sibi quoad monasteria competere potestatem, persuasum sibi habuerit, siquidem diploma, quo preces semel iam directae repetuntur, his verbis finitur: *Ius nostrum in hac parte taliter seruaturi, quod iura vestra et monasterii vestri versa vice recognoscere eo fauorabilius inducamur, nec oporteat nos super hoc contra vos stimulum quaerere impellentem f)*. Cum itaque primariae preces Imperatorum ex longo vsu et antiqua consuetudine sub Rudolpho iuris perfecti naturam iam induissent, adeo, vt, vellentur preces eius admittere, an reicere, non amplius ab arbitrio collatorum dependeret, modo ne persona, cui de beneficio ecclesia-

c) Ibid. Adi. IV.
d) Ibid. Adi. VI.

e) Ibid. Adi. VII.
f) Ibid. Adi. V.



clericali providendum esset, virtutibus necessariis ac iure canonico
 definitis careret, quarum defectum ipse Rudolphus tanquam iustam
 precibus renitendi causam agnouit, dum quendam in collegium Can-
 onicorum *considerata idoneitate personae recipi rogauit g)*; mirandum
 sane videtur, quod nihilominus collatores provisionem petitam aliquo-
 ties detrectauerint, nullam iuris primariorum precum et auctoritatis
 Imperialis rationem habentes. Quo magis autem voluntati ipsius re-
 siterunt, eo vigilantior ille, ius suum incolume seruari curauit.
 Namque alios, quos propterea forte precibus suis non obtemperasse
 suspicatus erat, quod nulla sese obligatione constrictos censuissent, de-
 nuo admonuit edocuitque meliora: *Vos, inquit, huiusmodi nostris
 mandatis et precibus parvipensis, non attendentes, quod eadem regiae
 preces in se contineant speciem mandatorum, easdem, ut nobis inno-
 tuit, admittere nolulistis. Quapropter demum deuotionem vestram ex-
 hortandam affectuose duximus et monendam, Regia nihilominus vobis
 auctoritate mandantes, quatenus facientes de necessitate virtutem,
 eidem de dicto beneficio, si quod vacat ad praesens, vel quam primum
 ad id obtulerit se facultas, curetis liberaliter providere h).* Alios
 porro, qui verba et minas parum attendebant, auxilio potentioris ad
 obsequium impellere conatus est; cuius quidem rei testes sunt literae
 de anno MCCLXXXI, quibus imperator preces suas primarias aduer-
 sus Capitulum Vesontinum adiuuandas ciuitati Vesontinae his commen-
 dauit: *Caeterum, cum nos pro honesto viro Cantore Lucebacensi, Ca-
 pellano nostro dilecto, Capitulo Bisontino primarias porreximus preces
 nostras, fidelitatem vestram, de qua plene confidimus, rogamus ple-
 nissimo ex affectu, quatenus eidem Capellano nostro, imo nobis et Im-
 perio apud idem Capitulum vestri fauoris et promotionis auxilium tati-
 ter impendatis, quod praedictus Capellanus noster vestro fauore pro-*
motus

g) Ibid. Adi. VI.


h) Ibid. Adi. V.

motus suae intentionis propositum consequatur, ac nobis laudabilis et approbata consuetudo Imperii conseruetur illaesa i). Ac si alias deinde literas ad Episcopum quendam datas contemplerur, non improbable est, eundem Imperatorem, si ex re sua videretur, ipsa adeo Pontificis Romani auctoritate vti haud dubitasse. Posteaquam enim partim beneficiorum ab antecessoribus concessorum, partim consuetudinis antiquae eo consilio mentionem fecerat, vt preces pro persona inter Canonicos recipienda vim et valorem nanciscerentur, in hunc modum perrexit: *Propter quod necessarium esse non credimus, quod ad receptionem et prouisionem ipsius N. in tua ecclesia auctoritas apostolica requiratur, eo quod N. ecclesia ab ecclesiis aliis regni nostri, quae illis, pro quibus primarias preces obtulimus, congrua promittuntur prouidentur et prouident incessantes, in conditionum disparitate non discrepet, nec exemptionis alicuius priuilegio fulciatur k).* Nec denique ipse modo Rudolphus strenue ac procul dubio pluries, quam diplomata euincunt, ius primariarum precum obseruauit, sed idem etiam, quo attentius consuetudo ab antecessoribus accepta continuaretur, Henrico Archiepiscopo Moguntino, quantum e literis de anno MCCLXXXVI l) elucet, in quibus ciuitas Wimpinensis ei supplicat, vt *ob serenissimi Domini Regis reuerentiam* pro filio sculteti Wimpinensis primarias preces ad ecclesiam eiusdem ciuitatis fundat, nomine suo exercendum mandauit.

Non minor in hoc iure conseruando atque tuendo Imperatorum cura fuit, qui post Rudolphum Habsburgicum Imperio Germaniae praefuerunt. Enimvero cum, quod in proposito habueram, ad ea vsque

i) Ibid. Adi. III.
k) Ibid. Adi. VII.

l) Apud WVERDTWEINIVM
Subsid. Diplom. Tom. II. n. II. a.



vsque tempora, quae Concordatis Nationis Germanicae inclanere; progredi haud liceat, neque, ibi potius quam sub finem Imperii Rudolphi historiam iuris primiarum precum Imperialis a me interrumpi, multum interfit; ea, quae supersunt, alia scribendi occasione oblata, his annectenda referuo.

COROLLARIA

I.

Absque libertate nulla virtus.

II.

Sapiente nemo liberior.

III.

Homo semper sui conscius.

IV.

Ratio sine lingua efficax.

Error typographicus

Pag. 9. lin. 6. pro: *smilitudine* leg. *verisimilitudine*,




VD 18

ULB Halle
005 475 171

3





1789, 17

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA

SVPER

IVRE PRIMARIARVM PRECVM
EIVSQUE EXERCITIO

SPECIMEN PRIMVM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE

A. D. XIV. FEBR. A. C. MDCCLXXXIX.

D E F E N D E T

IOHANNES GODOFREDVS MVELLER

ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER ET IVRIS
VTRIVSQUE BACCALAVREVS

CVM SOCIO

CAROLO CHRISTOPHORO AVGAPFEL

ZITTAVIA - LVSATO.

LIPSIÆ

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

1789, 17

